



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Natales Sanctorvm Belgii, Qvi Mense Ianuario.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

SANCTORVM BELGII,
QVI MENSE IANVARIO.

Secundo die Ianuarij.

De sancto Adalardo, abbate Corbeiensi.

Ex historia à discipulo scripta, tomo primo Suriy.

Cui aliquot obseruationes subiecti.



N Gallijs, ciuitate Corbeia, de-
positio sancti ADALARDI abbatis.

Qui Pipinum regem & Caro-
lum magnum arcto gradu sangui-
nis contingebat. Dum autem esset
tiro palatij, propter superindu-
ctam regis, Corbeiam secessit, vbi vigesimo etatis
anno monachum est professus, cumque in mona-
stica disciplina vigeret, vt magis cælestibus quàm
terrenis inesse crederetur, quasi ex regio iussu hor-
tulanus est constitutus. Quod officium gratanter
suscepit, & deuotè est exsecutus. Sed cum mul-
tum frequentaretur, secessit Cassinum, ad fon-
tem totius religionis. Verùm à nuncijs regis est
inde Corbeiam reductus. Vbi cum cuncta quæ
mundi sunt, quasi sub pedibus attereret, patre
monasterij sponte cedente, cunctorum votis pro-
motus est in abbatem. Erat autem acuti ingenij,
diuitis eloquentiæ, in tribus linguis, Latina, Gal-
lica, & Teutonica, disertissimus; Erat thesaurus
pauperum, patrimonium viduarum, pater orpha-
norum, brachium infirmorum, flagrum super-
bientium. Inter Spoletinos & Beneuentanos, ho-

A

stili

January 2.

N A T A L E S

hostili gladio se inuicem cædentes, firmam pacem restituit. Quantum sectatus sit iustitiam, testis est Francia, eius consilio submissa; maximè tamen Italia, cuius regem Pipinum iuniorem ad statum Reipublicæ regendum, & ad religionis cultum, informabat. Ibi vt angelus prædicabatur: non enim in iudicio alicuius personam accipiebat, nec aureo, vt dicitur, pugno frangebatur, sed pacem & æquitatem infractus colebat. Defuncto autem Carolo, apud Ludouicum, ne iustitia de cætero defensorem haberet, accusatus, & sine iudicio in exilium, cum duobus germanis fratribus, & totidem sororibus missus est. Est autem ipse ablegatus ad Herij insulæ monasterium, vt non solum Gallia, sed & vltima Aquitanie regio, sanctitate ipsius illustraretur. Sed post septennium à rege, publicè pœnitente, non modò Corbeiam, sed etiam ad palatium, est reuocatus. Contingit autem Adalardum ad Saxonie fines deuenire, vbi æquiuocus suus, alter Adalardus (qui beato viro dum in Herio exularet, in regimine Corbeie intercesserat,) sumtibus iam dicti monasterij paruissimam cellulam ædificabat. Videns hoc opus nutritij sui sanctus Adalardus, à rege impetrauit locum ædificationi magis congruum, quem à nomine prioris monasterij, à quo fundatum esset, Corbeiam vocauit. Incidit autem beatus senex triduo ante natalem Domini in validissimam febrem, quotidie tamen in oratorio sancti Martini, Missas audiebat, & communionem sanctam percipiebat. Interim Hildemannus, episcopus Beluacensis, quem monachum nutrierat, ad sanctum patrem venit; eumque benedictionis oleo perunxit, & post viuendi finem, cum sanctis fratribus, sepeliuit.

liuit. Et hactenus ex historia à discipulo descri-
pta.

Natalem verò habet die secunda Ianuarij, sed
elevationis memoriam die vndecima Sext. lis.

Multiplici autem de causa inter sanctos Belgij
est memorandus. Primùm quod Meierus referat *Anno 808.*
eum ex Vscia oriundum esse, prope Aldenardam. *Annal.*
Distat autem Vscia à dicta ciuitate vno miliari, via *Flandria.*
Brugensi; vulgo; *Huyse*. Alibi lego Vsciam fuisse
patrimonium Adalardi, sicut etiam fuit Berthe-
mum, territorij Louaniensis non obscurus pagus.
Et vtriusque parochiæ Abbas Corbeiensis est pa-
tronus. Accepi autem à Pastoribus Aldenarden-
sibus, non illis quos illustres martyres cognoui-
mus, sed ab eorum successoribus, festum sancti
Alardi quondam in Hussia celebre fuisse, & in
ore vulgi esse, eum inde oriundum: fontem quo-
que inibi reliquisse, qui in præsentiarum ab eo
nomen seruat. Sed & aliæ sunt causæ, ob quas
inter Belgas memoretur. Pertinet enim ad genea-
logiam Pipinorum & Magni Caroli, primorum
Brabantiæ Ducum, vt ex supradictis agnoscitur. *Louanij est*
Et postremò, Corbeia se annuè ex donatione A- *domus Cor-*
dalardi valde multa ex Belgio recipere, & plura *beiensis,*
recepisse cognoscit. Vixit tamen extra nostrum *de proft-*
Belgium, prout nunc sunt limites, in Corbeia vi- *dye van*
delicet Franciæ, Artesijs contigua: & cum æqui- *Corbye.*
uoco suo, Saxonix Corbeiam struxit. In vtroque
autem monasterio & pietas, & studia, multum
vigerunt: Immodò monasteria hæc plantaria fue-
runt primorum Bremensium archiepiscoporum,
qui Aquilonares Regiones conuerterunt. Vitam
à Surio editam, vnus familiarium descripsit.
Quam Trithemius, & multi alij, Paschasio Ratberto
tribuunt: sed stylus multum discrepat, Et, quod magis me
mouet,

mouet, extat recentior beati Adalardi vita, in cuius præfatione hic vitæ scriptor manifestè fecernitur à Paschasio. Post laudes enim Adalardi & Anſcharij, ſubditur Corbeiam etiam illustrari corpore & reliquijs Rarberti Paschasij, qui luculentum edidit librum de Corpore & Sanguine Domini. Qui, qualis & quantus fuerit, in quadam epistola testatur abbas Lobienſis Hirigerus, qui eo tempore inter sapientes habebatur sapientissimus. Deinde regreditur ad sancti Adalardi vitam, quam ab vno filiorum tanta amplitudine compositam scribit, vt magis epithalamium dici possit, quam textus historię.

Ex dictis liquet etiam aberrare quosdam Berthemi incolas, qui sanctum Adalardum describunt Haymonis filium minorem natu, in suo pago nutritum cum giganteo equo, quem in templo depictum habent: cum ex citata historia constet eum fuisse maiorem natu, ex patre, vt lectioes festi habent, Bernardo, fratre Pipini regis. Constat tamen ex authenticis instrumentis, etiam ipsius sancti viri manu subscriptis, multa in Berthem, ex donatione eius à Corbeia, quædam etiam ab incolis, possideri.

Ex dictis præterea colligitur sanctum virum impropria, sed ab alijs etiam vsurpata locutione, vocari, in vita sua originali, nepotem Pipini, & consobrinum Caroli. Nam minus cautè quidam primarium vitæ scriptorem hîc reprehenderunt, propria tantum significatione attenta.

Tertio die Ianuarij.

De sancta Bertilia virgine, in Mareolo.

Ex historia vitæ & elevationis, manu-scripta, & ex informatione Domini Francisci Maugrat, Pœnitentiarij Atrebatensis.

IN curia sancti Amandi, quæ dicitur Mareolum, depositio beatæ BERTILIAE virginis. Hæc ex nobilissima Francorum prosapia oriunda, adamata fuit à Guthlando quodam, qui virgini & generositate & diuitijs par videbatur. Cui ipsa fortiter reluctabatur, importunis tamen paren-

tum

tum molestijs tandem cessit, & Guthlandum in
 sponsum accepit. Qui cum ea in castitate, & omni
 sanctitate, succreuit: quod meritis beatæ virginis
 tributum non ambigitur. Erant autem ambo re-
 ligione clari, hospitalitate præcipui, castitatis a-
 matores feruentissimi. Beato ergo Guthlando
 prius ab hac vita discedente, & ut indubitanter
 tenetur, in paradisi delicijs collocato, sancta Ber-
 tilia omnia sua patrimonia diuersorum locorum
 monachis, canonicis, & sanctimonialibus, sub
 chartarum auctoritate tradidit, Solum Mareo-
 lum reseruauit, in quo basilicam condidit, &
 aram statuit in honorem almi Amandi. Adiecit
 & cellulam basilicæ, in qua meritis & annis ma-
 tura, de hoc saculo migravit. Venerabile autem
 corpus in dicta ecclesia est tumulatum, & multi
 beneficia optata consecuti, virginis nomen cele-
 brarunt. Ob quæ Atrebatenses, & eorum vicini,
 de ea in feretrum eleuanda, ut publicè & solem-
 niter inter sanctas veneraretur, Gerardo secun-
 do, episcopo suo, suggererunt. Publicauit itaque
 futuram eleuationem, in die exaltationis sanctæ
 Crucis: cumque per superuenientem infirmita-
 tem impediretur, noluit piam populi expectatio-
 nem defraudare: quare vices suas quatuor commi-
 sit abbatibus, qui eam eleuarunt anno millesimo
 octuagesimo primo. Deinde anno ducentesimo
 vigesimo octauo, cum vas primum sacrilegi fures
 auro & argento denudassent, Petrus abbas di-
 gnus vas præparauit. In quod Pontius, episco-
 pus Atrebatensis, octauo Idus Octobris, reliquias
 reposuit, cum magna solemnitate. Ipse contulit
 indulgentias, & magister Affo, canonicus Atre-
 batenfis, sermonem ad populum faciebat. De
 quibus

*Sponsus pro
 marito non
 cognito, quo
 modo lo-
 sep. & passus
 fuit Maria.*

Ianuarij 3.

Cap. 16.

quibus omnibus clarum est testimonium liber vitæ & eleuationis, iam olim conscriptus. Scribitur de eadem virgine ad primum antistitem Gerardum, libro secundo Chronici Cameracensis: *est etiam in vico Maraculo, alias Mareolo, monasterium Canonorum, vbi sancta Bertilia quiescit: qua hoc ipsum suum prædium sanctæ Mariæ tradidit.* Intelligitur autem per sanctam Mariam cathedralis ecclesia Atrebatensis. Mareolum enim est episcopi Atrebatensis; tenuem habens abbatiam Canonorum, ordinis sancti Augustini in ecclesia sanctorum Amandi & Bertiliæ.

Quo loco adhuc visuntur Fossæ, in quibus Iulius Cæsar dicitur castra metatus. Fuit & alia Bertilia coniunx beati Vualberti, cuius mentio erit in narratione de sancta Vualdetrude. Laudatur etiam illustris & Deo deuota Bertilia in vita S. Vualerici abbatis.

Quarta die Ianuarij.

De sancta Pharailde virgine.

Ex officio Gandensi, & ex monumentis ecclesiarum sanctæ Pharaildis.

GAndani, natale sanctæ PHARAILDIS virginis, quæ parentes habuit, Theodoricum Lotharingie Ducem, & sanctam Amelbergam, sororis Pipini principis filiam: fratrem materno ex latere, sanctum Emebertum, Cameracensem episcopum: sorores, sanctas, Raineldam & Gudilam. A beata Gertrude cognata sua de sacro fonte leuata, literisque instructa, pietatem à teneris annis egregie coluit. Cumque impedire non posset quin à parentibus nuptij daretur, per omne tamen coniugij tempus illibatam virginitatem custodiuit, eadem nimirum præpotenti sancti Spiritus gratia prædita,

prædita, qua & ante eam beata Cæcilia, & post
beatus Henricus imperator, vxorq̄ue eius, in ma-
trimonio claruerunt. Migravit autem virgo ad
Christum nonaginta annorum circulo ferè tran-
sacto, non minus religione, quàm senectute ve-
nerabilis. Cuius corpus ad sancti Bauonis eccle-
siam Agilfridus, episcopus Leodiensis, idemq̄ue
à Stephano papa abbas diui Bauonis Gandensis
creatus, Roma veniens, ex Lotharingia attulit
anno septingentesimo quinquagesimo quarto.
Sed non multò post, propter incursiones Nord-
mannorum, cœnobium Gandense cum sacris cor-
poribus Bauonis & Pharaildis fugit. Quæ corpo-
ra tandem, cessante persecutione, ex Lauduno &
Nigella relata sunt, ad ecclesiam noui Castelli
Comitis, ad ripam Legiæ, in fisco Gandensis cœ-
nobij sitam. Inde tamen reædificata per sanctum
Gerardum ecclesia diui Bauonis, ad eam sunt re-
lata, licet priori ecclesiæ, petente Arnulpho Co-
mite, portio aliqua gratiosè sit concessa, ne colle-
gium sanctæ Pharaildis reliquijs suæ patronæ ca-
reret. Verùm vt ijs quæ ex ecclesiastico officio de-
promissimus, aliunde quædam subiungantur. In
primis Christianus Massæus libro duodecimo
chronicorum scribit partem corporis Nigellæ,
quæ est Lotharingiæ ciuitas, haberi in ecclesia
sanctæ Pharaildis. Quò spectat quod ex Chroni-
cis Gandensis monasterij constet eos à Nordman-
nis fugatos, duos abbates Nigellæ, & tertium
Lauduni sepeliuisse. Deinde est in Stein-ockeze-
la, apud Viluordiam, sacellum sanctæ Pharaildis,
quod propter miracula frequentatur. Sed & pa-
nes nonnulli conseruantur, qui Dei & prædictæ
virginis iudicio in lapides sunt conuersi: Qua de

Januar. 4.

NATALES

In gloriam
confessoris,
cap. 108.

re anno supra millesimum trecentesimo quadra-
gesimo secundo, Plebani ecclesiarum in *Humeli-
ghem, Erpse, HockeZele, Quaderibbe & Corteberge*, te-
stimonium tulerunt. Simile miraculum refert
Gregorius Turonensis de nauta, cuius omne na-
vis onus, quod mandi potuit, in saxa est conuer-
sum, cum pauperi dixisset se nihil nisi lapides ha-
bere. Ego, inquit, ex his & dactylos vidi & oliuas
aspexi, marmore duriores. Primarium festum est
die quarta Ianuarij. Secundarium, translationis,
nonis Octobris.

Pingitur denique cum aut in manu, aut ad
pedes, quam Teutonicè, *een trap-gans*, vocant,
Cuius officium Gandauense non meminit. Sed
in historia plenius manu scripta legitur ipsam a-
ues ex agro tulisse, quas alij pheles, & alij mileras
atque alij vulgariter ganges siue gancas nuncu-
pant, quarum vnam prorsus mortuam viuifi-
cavit.

Li. 10, c. 22.

Quo loco fortassis legendum est ganzas, quas Plinius
memorat, ex Morinis Romam pedibus venisse.

Quinta die Ianuarij.

De beato Gerlaco eremita.

Ex historia manu-scripta, & relatione cuiusdam
Gerlacensis.

IN territorio Falkenburgensi, depositio beati
Gerlaci sanctiss. eremite. Qui quiescit in diocesi
Ruræmundensi ad sanctum Gerlacum. Sic enim ab eo no-
miantur & pagus, & monasterium virginum Præmon-
stratensium, apud quas sacræ reliquæ habentur, quæ ad
nostra usque tempora miraculis clarent. Fuit autem mili-
tum magister: cumque prope Iuliacum properaret cum
socijs

Socijs ad ludos, qui torneamenta dicuntur, coniugem suam obijisse intellexit. Cuius morte compunctus, papam Adrianum accessit, pœnitentiam pro peccatis petens. Unde septem annis Ierosolymæ pauperibus & peregrinis deseruiuit. Quibus transactis, vique ad mortem eremiticam vitam professus est, cum admiranda corporis afflictione. Vidit autem Hildegardis singulare solium, in cœlestibus ei præparatum. Commemoratio eius fit in vigilia Epiphaniæ Domini: sed quia non est canonizatus, Missæ sacrificium peragitur de aeterna sapientia: & dum Litaniæ canuntur, submissa voce interferitur.

Sancte Gerlace ora pro nobis.

Die sexta Ianuarij

De venerabili Gertrude ab Dosten.

Ex communicatione cum Delphensibus presbyteris Iouanij habita. Cui de beghinis nostratibus appendicem adieci.

DElphis in curia beghinarum, memoria beatæ Gertrudis de Dosten, natæ in *Koerburch*, quæ obiit anno ∞ . cccc. lviij. in die Epiphaniarum Domini. Hæc virgo erga passionem Domini multum fuit deuota. Unde & Christi stigmatibus insigniri meruit. De ea quædam leguntur in vulgaribus Hollandiæ chronicis: sed multò plura latino sermone exstant manuscripta. Ponitur autem quotannis crux illa vnde stigmata accepit, in die obitus in altari, & solenni cõcursa inuisitur. Sepulta est sub campanili ad diuum Hippolytum. Et priuatæ ædes quas inhabitauit, etiamnum notæ sunt.

Vixit autem beata Gertrudis eo tempore, aut paulo post, quo Clemens quintus, & Concilium Viennense, statum beghinarum, propter hæreticas & absurdas opiniones, à Dei Ecclesia aboleuerunt, eamque sectantes & de nouo assumptas, ipso facto excommunicatas pronunciauerunt. Sed hæc beatam Gertrudem non concernunt: Clementis enim successor Iohannes, dictus xxi, qui eadem confirmauit, non excepit, sed declarauit illa damnatione non comprehendj, nec à Clemente comprehensas esse, honestæ vitæ

*Extr.
somp.*

*In Catal.
episc. Leod.*

*In chro. M.
c. 50.*

*L. 2. Apum
c. 50.*

Ibidē c. 53.

stæ vitæ plurimas mulieres, quæ in multis mundi partibus vulgò similiter Beghinæ vocantur. In capitulo, vnico, de religiosis domibus, cuius initiū est, Ratio recta non patitur, vt innocentes, &c. Tali autē loco Belgij Beghinas habuit. Cū enim intellexisset à fide dignis plurimas esse in ciuitate & diocesi Cameracensi, quæ per virtutum odoramenta currentes, honestè viuerent, Ecclesias frequentarent, prælatis reuerenter obedirent, à disputationibus & erroribus Beghinarum Alemanniæ alienæ essent, in sancta & solida simplicitate, aut parentum, aut conductas, aut proprias vel communes domos, honestè inhabitarent, per Apostolicum scriptum, datum Auenione, Pontificatus sui anno primo, mandauit Cameracensi episcopo, vt dictas Beghinas, laudabiliter viuentes, ab omni molestatione tueretur. Inter huiusmodi autem beghinarum curias principem locum habuit Beghinagium Mechliniense, vrbi adiacens, multis oppidis illustrius, quod Antichristi præcursores, prætextu tuendæ vrbis, accensis facibus concremarunt, initium sumentes à domo Dei. Ad has virgines pertinet quod Placentius scribit, Lambertum quendam spiritu prophético futura prædicentem institutum Beghinarum, quarum se patriarcham scribebat, auctoritate & literis à Pontifice confirmari meruisse, & ab eo regressum, diui Christophori templum Leodij, Beghinarum habitationem fecisse. De eiusdem ante annos ferè ducentos Petrus Herentalius, Prior Floressiensis hunc in modum scripsit, Anno Domini, ∞. cc. vii. Multæ mulieres tam senes quàm iuuenes, contempto sæculo cum suis delectationibus, sponso qui in cælis est seruire desiderantes, fecerunt sibi congregationes simul commorantes, & vocabantur Beghinæ. Quoties verò tribulationes & contrarietates sunt in principio perpessæ. & quantæ exstiterint sanctitatis, in prologo vitæ Mariæ de Oignies, plenius declaratur. Thomas autem Cantipraten- sis, de Niella loquens, in hac vrbe, ait, vt pluribus adhuc notum est viuentibus, mulierum deuotarum, quæ Beghinæ vocantur, nunc latè diffusa per orbem religiositas inchoauit. Qui etiam alibi meminit duorum milliū Beghinarum Niuellensium. Ex dictis colligitur non esse tolerandam Gueffiorum quorundam blasphemiam, qui nostrates Beghinas singulis annis à Pontifice excommunicari clamant. Sanè magistratus & conuentus Curia Beghinarum in Houis (quæ ampliatis mœnibus fuit intra Louanium ab anno ∞. ccc.

oo. ccc. lvii.) priuilegia habet Romanorum Pontificum, in quibus ipsi sorores dicti conuentus, earumq; bona, & priuilegia in suam recipiunt protectionem. Non tamen per hæc statum earum intenderunt in aliquo approbare: non enim est status, vnde quacumque hora ad nuptias conuolari potest. Est que decretum à Ioanne Leodiensi episcopo, quod omnes Beghinæ, priuilegio beghinali gaudere volentes, intrent curiam Beghinarum: & aliæ habitum distinguant ab habitu earum.

d. e. Ratio
recta.

Cap. 18.

Die septima Ianuarij.

De S. Hillonio vel Tillone, patrono in Yseghem.

Ex literis D. Ioannis Brauuerij, Pastoris in Yseghem.

IN territorio Lemouicensi, Solenniaco monasterio, S. Tillonis monachi. Cuius historia in ecclesia Yseghemeni, quæ Flandriæ est, intra diocesim Tornacensem, huiuscemodi est. Sanctus Hillonius, antea Tilo vocatus, natione Saxo, ex parentibus Arianis, cum patria à raptoribus vastaretur, ab eisdem nauigio in Franciam abductus est. Vbi à diuo Eligio precio redemptus, & vt in fide & Christianis moribus formaretur, Rymaylo viro sancto, in Solenniaco monasterio degenti traditus est. Sub quo cum summus euassisset, Eligio restitutus est, qui cum aurifaber esset in palatio Dagoberti, dictum seruum suum in eadem arte instruxit, cumque ad sacerdotij & episcopatus culmen eueheretur, eum reliquit in palatio in fabril arte sibi successorem. Sed cum apud incudem virtutum semina in eo vbertim pullularent, ab Eligio promotus est & in sacerdotem, & in præfectum Solenniaco monasterij. Quam sarcinam, quod eam inuitus accepisset, mortuo

mortuo Eligio deposuit, & in Auerniæ eremum
 abcessit, vbi tantus fuit vitæ eius rigor, vt ab om-
 nibus Paulus vocaretur, quia vitam in se exprime-
 re videbatur Pauli primi eremitæ. In qua etiam
 eremo, cum diuites & pauperes turmatim ad eum
 eruditionis & sanationis causa confluerent, in
 loco *Bruggere* monasterium construxit, in quo sub
 eo trecenti monachi monasticam & austeram vi-
 tam professi sunt. Postea, ab Angelo monitus, So-
 lenniacum redijt, vbi verus monachus vitam tran-
 segit. Inter multos ab eo sanatos *Almanna*, *Lan-*
tharis Comitissæ vxor infirma, vasculum olei ei mi-
 sit, quod à se benedictum remisit, & sanitatem in-
 firmæ restituit. Munera porrò, gratitudinis ergo
 à Comite missa, cum indignatione reiecit. Cum
 autem nonagenarius esset, & ex leui febricula se
 moriturum sciret, fratribus post osculum pacis
 valedixit, & episcopum *Lemonicensem*, lecto ex
 infirmitate decumbentem, ad se misso nuncio vo-
 cauit, qui mox reddita sanitate venit, & virum
 sanctum sacramentis ecclesiæ munijt, antequam
 vitæ huius laboriosæ periodum absolueret. Cor-
 pus autem honorificè *Soleniaci* sepultum est, &
 ex sepulcro pro infirmis oleum manauit. Festum
 postridie epiphaniæ Domini in *Yseghem* solenne
 est, quod etiam ab accolis colitur pro sanatione
 febrium. Eodem die celebratur festum eius in pa-
 rochia *Gids* apud *Rollariam*, vbi ad memoriam
 eius multa edita sunt miracula. Cur autem in
Yseghem patronus colatur, causam allegant, quod
 sanctus Eligius, cum ad *Flandros* conuertendos è
Francia venit, eum, antea seruum suum, comi-
 tem assumpsit, & ad *Yseghemenses*, vt eos in fide
 catholica instrueret, destinavit. Cui etiam conuer-
 sionem

tionem suam, Dei gratia cooperante, acceptam ferunt. Pingitur ut abbas cum pedo in sinistra manu, cum calice in dextera, ex quo eo viuente infirmi sanitatem potabant. Hæc sunt, quæ inuitis iconoclastis ex Flandria accepimus. Ad quorum illustrationem pertinet, quod sanctus Andoënus in vita Eligij scribit: *sedebat fabricans indefessus, & contra illum Tillo vernaculus eius, ex genere Saxonico, qui magistri vestigia sequens, & ipse postmodum venerabilem vitam duxit.* Rursus, quod eodem ferè tempore scriptum est in vita Boniti episcopi Auerborum. *Adijt quendam celeberrimum Dei famulum Tillonem, cognomento Paulum, ut cum illo communicato consilio animi sui propositum posset explere.*

Lib. 1. c. 10.
Cal. Decemb.

Die 15. Ianuarij.

Octaua die Ianuarij.

1^o. De S. Gudila, patrona Bruxellensium.

Ex officio Bruxellensi, quo etiam vitur ecclesia Mossellensis, & ad hunc diem exstat tomo 1. Surijs.

IN villa Ham, depositio, sanctæ GVDILÆ virginis: cuius sacri corporis reliquiæ Bruxellæ venerantur. Ad cuius tumulum hiberno tempore populus arbor, sine manibus putantium, mox excreuit, & virens ut nemus fronduit. Quorum vtrumque fecit Deus, officio quo nouit, & voluit, & potestate qua valuit, in testimonium eiusdem virginis, in domo Domini ut palma florentis. Orta est hæc virgo in Brabantensium finibus, patrem habuit Vuirgerum Comitem, matrem Amalbergam: ad quorum petitionem sanctissima Gertrudis eam de sacro fonte leuauit. Mortua autè sancta Gertrude, ad domum patris ex Niuella reuertitur, optime

optimè instituta, crebrò frequentans die & nocte, oratorium sãcti Saluatoris in Morsella. Vnde nocte quadam diabolus huic deuotioni insidians, lucernam extinxit, quã pedisequa ferebat, sed sancta Gudila orationum clypeo lumen extinctum restituit. Sanctorum loca, comite famula, sub nocturnis horis frequentare solita erat, ieiunijs se macerabat, vigilijs attenuabat.

act. 9.

Pauperibus mensas strauit: velut altera Dorcas,

Ipsis concessit, quacunque potissima gessit.

Denique post multa virtutum exercitia sepelitur in Ham, vnde tempore Caroli magni eleuata, translata est Morsellam, & sanctimonialium cœnobium inibi institutum est. Postea Vuenemaro bona ecclesiastica inuadente, nec corpus sanctum curante, à Carolo Duce regni Lotharingiæ, translatum est Bruxellam. Quæ nunc est sub archiepiscopo Mechliniensi, secundaria Brabantia ciuitas, magnificentia principalis aulæ multum celebris. Vbi in ecclesia sancti Michaëlis, quæ etiam de nomine eius sanctæ Gudilæ dicitur, totius vrbis patrona quiescit. Ad natalem diem historiam edidit Surius: dies verò translationis est sextus Iulij.

2.º De Torphimo episcopo.

Ex literis domini Matthiæ Laurentiani, Fœnitarij Brugensis.

A Pud Brugas, obitus Torphimi episcopi, in Thosano episcopali monasterio, quod Flandricè Doest, dicitur. Vbi hoc habet epitaphium, etsi simplici stylo, in eleuato sarcophago, *Hic iacet dominus Torphimus, ex regno Norwegia, ciuitatis Hamaria episcopus*

episcopus, qui pro iure ecclesie de terra sua exulatus, & in mari naufragatus, hic tandem veniens pauper & atenuatus, per triginta septimanas infirmatus, hospicans & amore Christi misericorditer sustentatus, sancto sine quieuit, anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo quarto, sexto Idus Ianuarij Anima eius, &c. Eius nulla fit in diuino officio mentio. Ante annos tamen circiter septuaginta, cum sepulchrum reliquæ planiciei Abbas æquari vellet, ex attacto loculo, suauissimus odor dicitur templum repleuisse. Quo facto ab incepto desistebarur. Ibidem antiquiorem sepulturam habet Petrus, episcopus Roskildensis, cognatus regis Daciæ, qui cruce signatus, in itineratione ad Domini sepulchrum, hoc in loco obiit.

Decima die Ianuarij.

1^o. De sancto Gregorio decimo.

Ex literis ab Aretio per Ioannem Grauium acceptis, ac deinde ex diuersis.

A Pud Aretium, ciuitatem Tuscias depositio corporis beatissimi Gregorij papæ decimi. Qui cum esset Archidiaconus Leodiensis, exiens in ciuitatem Achon, cum Christianis contra Saracenos, à Cardinalibus in ciuitate Viterbiensi, miraculosè fuit electus in Papam, & cum summo honore Romæ est coronatus. Fecit autem Lugduni solenne Concilium: vbi inter alia cum Imperatore, & multis regibus & Baronibus, pro recuperanda terra sancta passagium ordinauit, & personaliter illic iter arripiens, & præcedens, anno Domini M. CC. LXXVI. in ciuitate Aretij, migravit ad Dominum, sepultusque est in Ecclesia Cathedrali.

In hac eadem Ecclesia conseruatur charta miraculorum eius anni, cum testium adscriptione; cuius conclusio est. Et quia non potest hæc breuis charta multa miracula continere, ideo quicumque eius miracula ad plenum noscere desiderat, ad sacristam istius Ecclesie vadat, qui ei plenos codices miraculorum beatissimi papæ Gregorij libenter ostendet.

Festum

Festum eius celebratur, cum duodecim luminaribus ad sepulchrum, & pulsu campanarum. Matutino etiam tempore Magistratus vrbis vniuersus ad oblationem venit. Vocatur autem beatus, quia non est canonizatus à Romano Pontifice. hæc sunt quæ ab Aretio de eo accipi. Quibus aliunde quædam adiungam. Cum igitur adhuc diceretur Theobaldus, de familia Mediolanensi. Vicecomitum, patria Placentinus, archidiaconus Leodiensis, magno semper in precio habitus est, quippe qui omnes reges & principes Christianos, continuo in Saracenos animabat. Vnde cum Romana sedes à Clementis quarti morte duos annos & nouem menses, maximo Reipublicæ Christianæ malo, vacasset, & discordantes Cardinales nullum ex se eligerent, suadente maximè sancto Bonaventura, Minorum generali ministro, in pontificem renunciauerunt, Theobaldum, virum sanctum, & religiosum, extra collegium Cardinalium, & absentem. De qua electione Ioannes Portuensis Cardinalis hos versus edidit,

*Papatus munus tulit archidiaconus vnus,
Quem patrem patrum, fecit discordia fratrum.*

Erat tunc in obsequio Christi trans mare, in Syria, apud Ptolemaidem, cum Eduardo, primogenito regis Anglorum, vbi Ludouicum regem Francorum, & tempus opportunum expectabat, vt cum cæteris Ierosolymam proficisceretur. Cæterum pontifex altero post consecrationem anno, Christi verò millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, maximum Christianorum concilium Lugduni in Gallijs congregauit, in quo multa decreta sunt, ad electionem summi pontificis, ad expeditionem in Sarracenos, ad vniõnem, Græcæ Latinæque ecclesiæ, ad pacem Christianorum, pertinentia. Sedit autem, à die electionis annos quatuor, menses totidem, dies decem. Obijtque in Hetruscis Aretij, vbi in cathedrali ecclesia sepultus magnis miraculis claruit. Testes huius narrationis sunt sanctus Antoninus, Platina, Onufrius, & alij de vitis Pontificum scriptores. Porro Ioannes Andreæ Bononiensis Iurisconsultus qui circa annum millesimum trecentesium quadragesimum octauum claruit, scribit ad Sexti Capitulum, Vbi periculum; fecisse eum valde commendabilem promotionem quinque Cardinalium, & intentum eleemosynis lacra contemisse. Addit de ipsius canonizatione tractari, & iam
du

Ioanes Andreæ in Nouella.

diu duobus praelatis, Pisano & Mutinensi, commissam fuisse inquisitionem, Bartolomæus verò Pisanus, qui paulo post conscripsit libros conformitatum sancti Francisci, dicit canonizatum esse in dicecesi Aretina. Sic etiam Robertus Liciensis, episcopus Aquinas, in sermone de S. Bonaventura, canonizatum asserit in ecclesia Aretina. Quod quomodo sit intelligendū, ex superioribus colligi potest.

Lib. I. fructu 8.

2^o. De sancto Vualerico eremita.

Ex lectionibus natalis diei.

IN territorio Lemouicensi, sancti Vualerici, Eremitæ & confessoris. Qui dilectus Deo & hominibus, in prouincia Galliæ, quæ Germania dicitur inferior, illustrium virorum sanguine, Christianis parentibus, est natus. Postmodum Christo duce Aquitaniam ingressus, & locum secretum expetens, à clericis ecclesiæ sancti Martialis Lemouicensis, qui eum summa reuerentia prosequabantur, locum solitudinis accepit, in quo ei construxerunt cellulam, & ecclesiam in honorem martyris Iuliani. Multi autem eo confugiebant ob disciplinam. Clarefcebat etiam, prouidente Deo, per miraculorum exhibitionem. Omnibus interea virtutibus ornatus, cùm senio grauaretur, sanctitate iuuenesceret, sumpto Dominici corporis viatico, inter verba orationis animam Deo latus reddidit, quinta Epiphaniæ die.

Hæc de Vualerico posui, quia ab ecclesia Lemouicensi asseritur in Germania inferiori, Galliæ prouincia, ortus, quamquam tunc latiores erant eius termini quàm nunc sunt. Fuit & alius Vualericus, presbyter & confessor, qui ex Luxouio venit ad dicecesim Ambianensem. Cuius natalem Vsiardus ponit pridie Idus Decembris. Historiam tamen Surius habet propè æqualem, in die translationis, Calendis videlicet Aprilis. Huius autem corpus ob furorem Danorum, multo tempore quieuit inter Belgas ad sanctum Bertinum. Vnde tandem ab Hugone Capeto est repertum, & obtentum.

B

Die

Die decima-tertia Ianuarij.

De sancto Remigio, Francorū apostolo,

Ex Gregorio Turonensi, & ex Hincmaro Rhemensis, obser-
uationes Belgica.

Rhenis metropoli, depositio sancti Remigij, Francorum Apostoli, viri eximia virtutis. Cuius sanctitatis præconium merito credulitatis suę gens Francorum, debitæ venerationis cultu, celebriter recolit.

Huius Apostolici viri memoria inter Belgas est celebranda, eo quod maior Belgij pars ipso episcopante regibus Francorum paruerit. Multum est autem regem conuertisse ad fidem: verum est enim vulgatum carmen, ex Claudiano de-

De quarto
consulatu
Honorij.

sumptum, *Regis ad exemplum totus componitur orbis.*

Hincm. in
vita Remi-
gij.

Ceterum non tantum regis meminit Hincmarus, sed notanter scribit Clodoueam omnem Fran-

Lib. secūdo
capite tri-
gesimo pri-
mo.

corum populum per beatum Remigium ad fidem conuerti & baptizari, obtinuisse. Scribit idem ibidem, & Gregorius Turonensis in histo-

Sidonius in
epigramate
ad Maio-
rianum.

ria suę gentis, Clodoueo ingresso ad fontem vitalem, dixisse sanctum Remigium, *Mitis deponere colla Sicamber.* Ex quo primus hic Francię Christianus rex, videri posset ortu aut origine Geldrensis Geldros enim olim Sicambros, dictos fuisse, multi constanter asserunt: & Sidonij carmine comprobatur.

Æmylius
libro primo
de gestis
Francorum.

Detonsus Vahalim bibat Sicamber.
Quo etiam pertinet quod Paulus Æmylius scribit, primos Francorum circa Toxiandriam, secundos in Tungris, constitisse. Sed & Hincma-

rus refert, Sicambros Tornacum, Cameracum, aliasque Belgicæ prouinciæ partes occupasse, in ijsque sub Clodione & Meroueo regibus vixisse.

Est præterea aliud considerandum, magnam Belgij partem non tantum Regis Christianissimi potestati, sed & Remensis episcopi sollicitudini metropolitico iure, subfuisse. Hinc sanctus Remigius Vedastum dedit Atrebatibus episcopum, & tam ipse quàm eius successores, tot beneficia nobis contulerunt, vt ea quæ passim monumentis sunt prodita, non absque prolixitate recapitulari possent. Administrauit autem Remigius episcopatum suum annis septuaginta quatuor. Vnde propter ætatis prolixitatem Iubilæus nominabatur. Ex quo discimus non nuperum esse vt Iubilarios honorare, qui laudabiliter quinquaginta annos in sacerdotio, aut, quod rarissimum est, in episcopatu exegerunt.

Fortassis autem Vsuardus Rhemos metropolim vocans, non ad ecclesiasticum ius metropolitico respexit, sed ad alterum ciuile. Nam in Prouinciarum libello, ciuitas Rhemorum nominatur Belgicæ secundæ metropolis.

2^o. *Obitus beatae Iuettæ, reclusæ.*

Ex Hugone Floressiensi.

Eodem die in territorio Leodiensi, obitus B. matris Iuettæ, quæ marito orbata, decem annis leprosis extra muros Hoyenses humanitatis & seruitutis officia exhibuit: deinde cum annis triginta sex reclusa fuisset, quieuit in abundantia virtutum anno millesimo ducentesimo vigesimo septimo. Cuius corpus Ioannes Floressiæ abbas terræ inhumauit: eodemque Abbate iubente, Hugo prolixo libro merita & vitam defunctæ mulieris descripsit.

Decima

Decima-quarta die Ianuarij.

De sancto Pontiano, martyre Spoletino, apud Traiectenses celeberrimo. Ex historia & Martyrologio Ultraiectensis ecclesiæ, & literis ex Spoletico acceptis, cura Ioan. Grauij presbyteri Societatis IESV.

Spoletij, passio sancti Pontiani, martyris pretiosi, temporibus Antonini Imperatoris, sub iudice Fabiano. Cuius reliquiæ habentur in Traiecto inferiori.

Hic gloriosè superavit pœnam carceris, dira verbera, carbonum incendia, eculci cruciatum, vncinorum carnificium, feritatem leonum, penuriam ciborum, lectum ferreum, & plumbi feruentis acerbiter. Quibus superatis capite plexus est, & palma martyrij coronatus. Anno autem nongentesimo sexagesimo sexto, cum Otho Romæ imperator effectus, inde in Germaniam victor rediret, studio pij præsulis Baldrici, sanctum martyris corpus acquisitum, delatum est Ultraiectum ad Pontificalis sedis aulam. Vnde festus dies sancti Pontiani ab omni dictæ diœcesis populo celebratur, die decima-quarta Ianuarij.

Eodem die, quamuis aliquanto post passus sit, festum eius celebrant Spoletini, qui & totum corpus se in ecclesia seu monasterio sancti Pontiani extra muros, habere asserunt. Quare translationem, quæ à Spoletinis hodie ignoratur, ad reliquias restringendam arbitror. Nec aliter in Martyrologio Ultraiectino (quod anno 1364. ex vetustiori, vt arbitror, exemplati scriptum est) legitur, nam verba eius superius transscripsimus: quamuis pietas huiuscemodi libenter extendat.

Decima-

Decima-quinta die Ianuarij.

De sancto Ableberto, episcopo Cameracēsi.

Ex Chronico Cameracensi & Calendarjs chori Malbodiensis, vita sororum eius, &c.

MAlbodij, natalis sancti A BLEBERTI Episcopi. Qui Emebertus dictus est à Malbodij aut Martinæ incolis & vicinis. Frater fuit sanctarum virginum, Raineldis & Gudilæ, tempore regis Dagoberti: in vita admirabilis, & meritis insignis. Quiuit autem circa annum sexcentimum quadragesimum. De ipso scriptum est in Chronico Cameracensi ad Gerardum primum. Fuit huic, ut aiunt, prædium, quod Martinas dicitur, familijs quidem & rebus circumfluis locupletissimum, de quo Dei genitricis ecclesiam Cameracensem, heredem fecerat. Sed nescimus qua de causa, nisi infestatione paganorum, amiserit. Superueniente die sua vocationis, in Brachbantensi pago, villa videlicet Ham, defunctus, migravit à mundo, illicq; est sepultus: deinde ad Martinas deportatus, postea vero ad Malbodium: ibiq; resurrectionis diem expectat. Hæc ibi. Malbodium autem est Hannoniæ oppidum, vbi in Canoniarum ecclesia festum eius peragitur, die decima-quinta Ianuarij, nouem lectionibus: sed tres mediæ leguntur de Mauro abbate: Rursus in die sancti Lucae Euangelistæ habet apud eandem commemorationem.

Vbi autem Martinæ, vel Marcinæ, sint, nondum cognosco: sed apud Tornacum & Antonium est pagus S. Ableberti, qui Mons S. Trinitatis vulgò appellatur. Pagum autem Paltor sic vocari asserit, quod sanctus Aldebertus episcopus Cameracensis ibi habitasse creditur. Asseruit &

festum sua in Ecclesia celebrari. Plura autem ex eius relatu à Tornacensibus non accepi.

Quod verò ad episcopatum attinet, in catalogo episcoporum Cameracensium ponitur antecessor sancti Auberti, sed in Raineldis historia, & alibi, quædam de Auberto leguntur, ex quibus consequi videtur, Ablebertum aut successisse ei, aut saltem parem fuisse, coepiscopum videlicet, ut tunc ad fidei propagationem plures fuerunt. Quod qui volet, pressius consideret.

2^o De sancto Mauro Eremita.

Ex literis Dn. Godofridi Petitt, Pastoris ecclesie, in qua S. Maurus requiescit.

HVy, natalis sancti Mauri confessoris. Qui, ut à maioribus accepimus, in circumvicinis locis Andanensibus natus est, & mortuus: sed divina permissione recepit vitam, & in baptismo dictus est mortuus natus, vulgariter *Mort nee*. Supervixit autem, vitam agens modestam, cum hominibus rudibus, in silvis, præstans eis auxilium in conficiendis carbonibus ligneis. Tandem in silvis circa Andanam eremiticam vitam elegit, in qua sanctè extremum vitæ suæ diem conclusit. Cùm autem ulterius à nullo videretur, vicini diligenter eum quæsiuerunt, & mortuum inuenerunt. Cuius corpus cùm Andanam vehere vellent, equi diuino nutu refragabantur: cùm autem Huyum dirigerentur, absque omni difficultate progressi sunt usque ad parochialem ecclesiam sancti Ioannis Euangelistæ: in qua corpus eius honorificè terræ inhumatum iacet, in naui ecclesie, inter duas columnas. Superius visitur ipse in imagine ad modum eremitæ, pedibus nudis, crinibus sparsis in humeros, ætate, ut apparet, octogennarius, vestitus pallio oblongo usque ad talos: in dextera

dexterâ manu gestans sphaeras præcatorias, cum baculo eremitico, in sinistra, librum habens; in capite portans biretum, quale fratres Minores sub cuculla gerunt: barbam habens oblongam, pictam aureo colore. Inferius corpus eius lapide tegitur. Supra quem alius lapis, in modum altaris, columnis innititur: in quo reponuntur offerentia peregrinorum, qui eo quotidie deuotionis gratia confluunt, vt à calculo, à dolore capitis, dentium, tiliarum, & ab alijs morbis liberentur. Offeruntur autem ex ferro vel cera, tibiæ, corone, brachia: item compedes, sal, nummi, gallinæ, pulli, & similia, quæ priscis temporibus in maiori copia, & cum maiori deuotione, offerebantur, quàm nunc, quando pluribus erga infirmos clarebat miraculis, quæ nunc decrecente deuotione sunt rariora. Inde autem vir sanctus, apud suos, à tempore omnibus ignoto, celebris est: & Pastores in die sancti Mauri abbatis memoriam eius celebrant, officium legentes commune de Confessore non Pontifice. Capitulum quoque Huyense, quando Pastorem ecclesiæ, in qua quiescit, instituit nominat eum in litteris institutionis, Pastorem Parochialis ecclesiæ beatorum Ioannis Euangelistæ, & beati Mauri. Hæc sunt quæ à Pastore ecclesiæ eius accepi.

Ne quis autem nomen miretur. Literati quidam eum Sanctè-Mortuum: alij Sanctum-Mortuum vocant. Rectius Renatum dixissent: quomodo sanctus Maurilius puerulum à se resuscitatum nominauit, qui ei postea in cathedra Andegauensi successit. Vulguseum pro *sainct Moort*, vocat *sainct Moo*: vnde clerus, eorum simplicitatem sequens, Maurum vocat: & cum obitus dies nesci-

retur, in die sancti Mauri abbatis, memoriam eius cum plebe celebrare voluit. Dedicacionis autem festum incidit annuè in Dominicum diem Rogationum.

Decima-sexta Ianuarij.

1. De reliquijs Marcelli papæ, in Altomonte Ex monumentis Alti-montis, & aliunde.

Romæ, via Salaria, natale sancti Marcelli papæ, qui catabuli bestias in ea ecclesia quam dedicarat à Maxentio custodire iussus est; vbi propter loci fœditatem, pædore confectus, obdormiuit in Domino. Huius martyris corpus, habetur in Alto-monte, Hannoniæ, peruetusto iuxta Malbodium monasterio. Quod tempore vastationis Hungariæ, reconditum fuerat in terris, eo loci vbi nunc iacet vetustissimum saxum, cum inscriptione *VR SIO ABBS*. Sed sub dicto Vrsione primo abbate post Hungarorum vastationem, tempore bellorum inter Henricum imperatorem & Balduinum comitem, est manifestatum & inuentum, circa annum millesimum quinquagesimum quartum, quinto idus Septembris. Quo die narratio manifestationis in ecclesia eadem legitur à prædicto Vrsione descripta. Celebrant etiam Cluniacenses octauo Idus Ianuarij exceptionem sancti Marcelli papæ. Vnde colligitur reliquias eius etiam alibi haberi. Martyrium autem exstat ad diem decimam sextam Ianuarij, cuius auctores esse videntur Romanæ ecclesiæ Notarij.

*In Vnicelio
& 10770
primo su-
rij.*

Pingitur in Alto-monte sedens cum duabus ecclesijs in manibus, & duobus Imperatoribus sub se prostratis. De Imperatoribus satis constat: ij enim sunt Diocletianus &

Maxi-

Maximianus, vel potius Maximianus & Maxentius, quos martyrio suo superauit, sed de ecclesiis minus clarum est. Non dubito tamen quin his significetur domus Lucinæ à sancto Marcello in ecclesiam consecrata, in qua frequenter Missas celebrabat; & domus Cyriaci, in qua dictus papa fontem consecrauerat. Hæc enim loca erant ecclesiæ, non quales nunc habemus, sed quales ea tempora in grauissima persecutione admittebant. Sunt denique qui Marcilij nomen à Marcello corruptum iudicent.

2^o. *De sancto Furseo, qui Perona quiescit.*

*Ex historia plenius Atrebatu manu scripta, quam ex-
ter apud Surium, obseruationes Belgicæ.*

Perona monasterio, sancti FURSEI confessoris, cuius gesta habentur. Fuit autem Perona, aliquando Flandriæ, nunc verò est Franciæ ciuitas, Belgio nostro contigua. Præclara autem de sancto viro habentur apud Bedam libro tertio historiæ Anglicanæ, capite decimo nono, & in vitæ historia decimo sexto Ianuarij apud Surium, quam Beda loco mox citato citat. Sed & hoc loco commemorandus est, quatenus Belgium concernit. Cùm igitur annis aliquot apud Hybernos, Scotos, Britones & Anglos verbum Dei disseminasset, ad Gallias transiuit: cumque Atrebatu apud quandam dominam hospitium peteret, eaque recusaret, morbo est correpta: à quo vt liberaretur sanctum virum reuocauit. Qui reuinit quidem venire, absens tamen eam sanauit. Hoc autem miraculo per Gallias crebrescente, Ercanaldus, maior domus, sancto Furseo locum dedit Lariniaci, vbi monasterium construxit. Ædificauit etiam idem princeps ei Peronæ alterum monasterium, cum ecclesia. Præterea sanctus Furseus suo exëplo

B 5

multos

multos insignes & sanctos prædicatores in Belgium nostrum euocauit, inter quos sunt germani eius fratres, Foïllanus & Vltanus. Quare mirum non est Apostolicos Belgij nostri episcopos, Eligium & Autbertum, quarto post obitum anno, corpus eius, quod omnino incorruptum Peronæ, deprehendebant, è terra subuexisse. Natalem Atrebatenses celebrant nouem lectionibus.

Cameracenses ut episcopum colunt, non quod proprii nominis episcopus fuerit, sed quia quorundam locorum Apostolus fuit. Hac enim de causa plures ut episcopos colli, sparsim à me est annotatum.

a. Cui post mortem eius præfuit eius frater *Vltanus*.
Infra, die 5. Maij, & 13. Septemb. in historijs SS. Maurontii & Amati.

Decima-nona Ianuarij.

De reliquijs Marij martyris, in Gemblaco.

Ex archiuis Gemblacensium, quorum Lambertus Bancquart, reuerendus Prælatus loci, copiam dedit.

Romæ, viâ Corneliâ, sanctorum martyrum Marij & Marthæ, cum filijs, nobilium: qui de Perside ad orationem venerunt Romam, tempore Claudij principis. Prioris martyris corpus, cum reliquijs sancti Fortunati, & aliorum Sanctorum, è Roma Gemblacum attulit Arnulphus nonus abbas Gemblacensis; quem Innocentius secundus Romæ suis manibus abbatem consecrauit. Hinc festum sancti martyris Gemblaci duodecim lectiones habet. Quàm celebris autem fuerit martyr, indicant Horæ Romanæ in natalitio die, & Gesta Valentini, ac collegarum, apud Surium, die decima quarta Februarij.

Vigesima

Vigesima prima die Ianuarij.

De reliquijs sanctæ Agnetis; Ultraiecti.

Ex monumentis Ultraiectensium.

Romæ, passio sanctæ Agnetis, virginis & martyris: quæ sub præfecto Urbis Symphronio ignibus iniecta, sed his per orationem eius extinctis, gladio percussa est. Cuius reliquiæ habentur in Traiecto inferiori. Baldricus enim decimus quintus episcopus Traiectensis, filius Rixfridi Comitis Cliuensis, ciuitatem suam, à Normannis vastatam restaurauit, & sacris reliquijs magis exornauit. Cum enim anno nongentesimo sexagesimo sexto, vt scribit Becanus, Alpes transcendens pro quibusdam vtilitatibus ecclesiæ, regis Othonis exquisiuisset præsentiam, ei valefaciens, secum tulit corpora sanctorum martyrum, Pontiani, Benigni, & Agnetis. Ex quo festiuitas sanctæ Agnetis, die vigesimo primo Ianuarij, per totam diocesim est celeberrima. Dies translationis est quarto Nonas Septembris De hac virgine scribit sanctus Hieronymus Demetriadi, *omnium gentium literis, atque linguis, Agnes vita laudata est*: Est autem ab Ambrosio, Prudentio, & ab alijs, descripta.

In chronica
cap. 33.

Non est autem verisimile, Romanos tam famosæ martyris omnes reliquias Ultraiectinis dedisse, sed tantum portionem, eo quod ipsum corpus apud eos asseruari ab omnibus incolis affirmetur. Nec in Martyrologio Ultraiectensi plus legitur, quàm eius reliquias haberi in Traiecto inferiori. Quamquam sciam tam magna fuisse Othonis, per quem

quem hæc obtenta sunt, merita, vt etiam præcipua pignora sanctæ virginis vrgenti principi non denegassent. Is enim subactis, Christianæque fidei copulatis Slauorum gentibus, per quinquennium in Italia commoratus filios Berengarij debellauit, Romamque, & Apostolicam sedem, pristinae reddidit libertati.

Die vigesima secunda Ianuarij.

De B. Gualtero Brugensi, epis. Pictaoru.

Ex Chronico sancti Antonini, parte tertia, titulo vigesimo quarto, capite nono.

Pictaui, obitus beati Gualteri episcopi. De quo subijcienda sunt verba sancti Antonini. Sub Bona-gratia, decimo, inquit, magistro generali ordinis Minorum, frater Gualterus de Brugis, magister in Theologia, tunc Minister Turoniz, fuit per Dominum Papam compulsus recipere episcopatum Pictauiensem. Et quamuis Generalis supplicauerit ne ille frater auferretur illi prouinciaz, præualuit voluntas vicarij Christi. Erat enim vir omni virtute ornatus, in regimine vtilis. Tantæ sanctitatis fuit, quod aliquando columba candidissima visa est super caput eius: & contractum magnum debitum pro indumentis pauperum, cum mercatore quodam, qui angelus Dei credebatur fuisse, in forma procuratoris absoluit debitum illud, & cancellari fecit eo ignorante.

Hic tamen cum diu litigasset episcopus existens, in archiepiscopatu Burdegalensi, pro iure ecclesie suæ, & post multos annos Burdegalensis archiepiscopus Bertrandus, papa esset creatus, Clemens quintus nominatus, deposuit ipsum Dominum Gualterum ab episcopatu Pictauiensi, & reduxit ad claustrum. Demum frater Gualterus ad extrema deueniens, quandam schedulam fecit, in qua continebatur, quod ipse appellabat à sententia domini Clementis papæ, super depositione sua ab episcopatu, ad iustum Dei iudicium, & ipsam schedulam in manu conclusit dextera sua, & cum ea voluit sepeliri. Quod factum est. Multis
clareg

claret miraculis, præcipuè à quartana liberans. Cùm autem post duos annos, vel circa, papa Clemens, cum curia sua, venisset Piëtanos, & ibi moram traheret, audito quod frater Gualterus, cum schedula in manu sua clausa, suam appellationem continente, sepultus fuisset, voluit hoc videre. Vnde mandauit eum exhumari, & illam schedulam illi auferri. Mira res: manus eius aperiri non potuit, & schedula haberi, nisi prius facta promissione, quod postea restitueretur. Quo facto, statim aperiri permisit manum, & schedulam sibi. Quam cùm Papa legisset, miratus est, & reddi eam defuncto iussit. Hactenus sanctus Antoninus. De eodem Meierus in Flandriæ annalibus initio libri vndecimi quædam commemorat.

Die vigesima quinta Ianuarij.

De beato Poppone abbate Stabulensi.

Ex historia ad vigesimam quintam Ianuarij edita, auctore Euerhelmo abbate.

STabuleti, obitus domini Popponis abbatis. Qui proiectis armis sæcularibus, armaturam monasticam induit ad sanctum Theodoricum. Vnde cum Viridunum commigrasset, abbas eius Richardus, à Balduino, Flandriæ Marchione, surrogatus est Atrebari ad sanctum Vedastum, deiecto à regimine Folrado. Richardus autem eo loci secundum à se præfecit Popponem omnium fratrum consensu. Cum autem Poppo videret bona monasterij in beneficia militum conuersa esse, ipse innuente Miles pro Balduino, res monasterij prudenter repetijt, & vt fratrum nobils equi- permanerent, publicis instrumentis stabilijit. Pro quo te, milites ad eum perimendum, viarum septa vndequaque occuparunt. Sed Poppo per arma iustitiæ à dextris & sinistris vallatus, omnes iniquæ coniurationis conatus ruit. Sed & Henricum, tam pium, quàm magnum Imperatorem redarguit, cùm vrsis nudus quidam melle perunctus, non absque vitæ periculo, exhiberetur. Porro idem Imperator, hunc venerabilem abbatem & regimine & miraculis clarum Stabulensibus apud sanctum Remaclum præesse voluit: sed & aliorum cœnobiorum, sui Imperij,

ei regimen commisit. Vir autem sanctus rectores singulos singulis præesse voluit. Fuit etiam ad formandum monasticum regimen, multis in locis postulatus. Nam Cella sancti Gislæ præfecit sub se Herbrandum, in Altomonte, Euerhelmum; Vualciodori, Lambertum; Traiecti ad sanctum Paulum, Herigerum; Atrebat, Emmelinum; Martianis, Balduinum. Ac tandem, cum Stabulense monasterium & Malmundariense, quod ab eo dependet, egregie instaurasset; cumque aliorum monasteriorum indefessam sollicitudinem subiisset, anno quadragesimo octauo ultra millesimum, in die conuersionis sancti Pauli, prout semper operauerat, spiritum Deo reddidit. Estque à Vuazone episcopo Leodiensi sepultus in Stabulensi ecclesia. Mirum est autem Stabuletum, Imperiale monasterium, eius canonizationem apud Apostolicam Sedem non sollicitasse, cum de virtutibus eius, & miraculis, permulta legantur, Blandinij conscripta, per Euerhelmum abbatem Altrimontensem, & postea, ut puto, Blandiniensem. In chronicis enim Blandinij, notatur Euerelmus, electus abbas anno supra millesimum quinquagesimo octauo: defunctus anno sexagesimo nono. Sunt autem Stabulenses, à quibus Malmundarium dependet, diocesis Leodiensis, sed pro altera iurisdictione litigatur à Lutzenburgensi duce & Leodiensi principe, cum illi se immediatè Imperio subesse verbis & factis asserant.

Vigesima septima Ianuarij.

1^o. De sancto Sulpicio, episcopo Baionensi.

Ex libris ad sanctum Gislænum, & informatione Marthæi Maulart Reuerendi abbatis ibidem, nunc episcopi Atrebatensis.

BAionæ, natalis sancti Sulpicij, episcopi & confessoris. Cuius corpus habet Cella, siue sancti Gislæni monasterium, quod est antiquissimum in Hannonia. Vnde in Martyrologio ibidem legitur, die vigesimo septimo Ianuarij, *Deposito sancti patris nostri Sulpicij episcopi & confessoris, & die vigesimo primo Iulij, In Cellensi monasterio, transf-*

translatio sancti Sulpicii episcopi, & sanctæ Leocadiæ virginis. Fuit autem episcopus Baionensis in Gasconia, siue, vt literati quidam loquuntur, ad Aquas Augustas, in limite Hispaniensi. Id enim constat ex sermone de translatione. Eiusque corpus eadem occasione, & eodem tempore, quo corpus sanctæ Leocadiæ, per Comitem Hannoniæ, ad Belgas delatum esse putatur.

2^o *De beato Ioanne episcopo Morinensi.*

Ex Chronicis Bertinensium, cap. quadragesimo.

Eodem die, anno millesimo centesimo trigesimo, obitus B. Ioannis episcopi Morinensis, qui triginta annis episcopatum sanctissime rexit, iudiciorum, pauperum, ecclesiarum, bibliothecarum, & dilatandæ religionis, sedulus obseruator. Qui in libro vitæ, numero sanctorum pie creditur ascriptus, quanquam non sit per Romanam ecclesiam canonizatus. Vita eius ad diuum Bertinum conscripta habetur. Hic Ipris ad sanctum Martinum, Regulares instituit.

Vigesima octaua Ianuarij.

1^o *De sancto Carolo magno Imperatore.*

Ex Martyrologio Aquisgranensi, historijs & annalibus rerum Caroli, literâ canonizationis, ac aliunde.

Aquisgranî, natale sancti CAROLI confessoris, primi de stirpe Francorum ordinatione diuinâ Romanorum Augusti: qui ab inuente ætate sæculi pompam despiciens, imperialis potentia gladio & sanctæ prædicationis verbo, vitæque salutaris exemplo, conuertit Guasconiam Hispaniam, atque Galæciam. In eâ namque corpus beati Iacobi Apostoli, nefandis idolorum ritibus

ritibus oppressum, hodierno honori restituit. Conuertit quoque ad Dominum Frisiam, Alemanniam, atque triplici tropæo Saxoniam. Ædificauit quoque proprijs sumptibus, ad laudem & honorem sanctæ Trinitatis, viginti septem ecclesias, quarum excellentiæ typhum obtinet Aquensis, præsentibus suffragijs gloriosa. Hactenus Ecclesiæ ipsius Martyrologium. Quiescit autem Aquisgrani in rotunda Dei genitricis, quam exstruxit, basilica: quæ ciuitas inter Imperiales prima est, diœcesis Leodiensis, Romanorum Imperatorum prima coronatione, & septennali reliquiarum visitatione celebris. Luitprandus Diaconus nominat eam Thermas Giani. Cæterum Imperator recta linea descendit à Pipinis, primis Brabantia Ducibus, qui in Austrasia Maiores erant domus regia. Siquidem Carolus Martellus fuit eius auus: pater verò Pipinus tertius, qui ex Maio-re domus, auctoritate Apostolica, & Francorum electione, à sancto Bonifacio Germanorum Apostolo, rex est consecratus, detruso in monasterium Childerico. Hinc Carolus in Ducatu Brabantia, & in Francorum regno succedens, nihil antiquius habuit, quam Romanæ Sedis dignitatem & fidem catholicam tueri, ac propagare. Hinc relicto domestico contra Saxones bello, aduersus Longobardos profectus est, vt Italiam, ecclesiamque Romanam, ab eorum immanitate liberaret. Indignabatur enim quod tam barbaræ gentes adhuc in Italia regnarent, & à parentibus suis Mattello & Pipino, sæpius prælijs victæ, nondum continerentur. Itaque cum tota fere Italia, præter urbem Romam, potirentur, Dei adiutorio cepit & debellauit potentissimum regem Desiderium; grauem-

Li. 3. c. 13.

grauemque gentis eius dominatum, post annos ducentos & sex, ex quo in Italia regnare cœperat, à ceruicibus Itatorum dimouit, ac patrimonia que à perfida Longobardorum gente detinebantur brachio forti, Apostolicæ Dei ecclesiæ, cuius esse dinoscebantur, restituit. His enim verbis Adrianus Pontifex id scribit ad Constantinum & Irenem Augustos; qui Pontifex etiam hac de causa conuocato concilio, multis priuilegijs Carolum ornauit. Deuictis Longobardis mox domum redijt, contrà bellicosissimos Saxones: quos quidem superauit, sed bello in tertium supra trigessimum annum protrahito. Victos autem, falsis dijs posthabitis, Christianam fidem profiteri voluit. Similiter Hispaniam, à barbaris gentibus oppressam, exercitum ingenti celeritate trajiciens, citissimè superauit. Victis autem præcipuè imperauit, vt Christianæ fidei legem susceperent. Subiecit præterea Francorum potestati Aquitanos, Vascones, Britones, Bauaros, Hunnorum verò ingentem & barbaram multitudinem, qui in Pannonia sedem habentes, post Saxones armis virisque erant opulentissimi, tandem octauo anno, postquam bellum inceperat, penitus superauit, vt nullum ferme pristinae potentia remaneret vestigium. Zelum porro suum erga Romanam Sedem non tantum eo bello declarauit, quod contra Langobardos feliciter confecit, sed & postmodum cum Beneuentani contra Romanam ecclesiam initia maximæ seditionis mouebant. Carolus enim cum omni exercitu, maxima celeritate, Italiam repetebat, & solo aduentu populorum seditiones comprimebat. Præterea, cum Romani aduersus Leonem Pontificem, coniurationem inijsent, exemplo

Vide Carolum Sigonium de re-gno Italia, in fine libri tertij, & intro quæ-

Leo 3.

cum

cum exercitu in Italiam tertio contendit, & Pontificem, cum ingenti gloria, in Urbem restituit. A quo mox pro egregijs meritis, Romano etiam populo applaudente, Augustus est appellatus, & Imperatoris nomen, dignitatemque suscepit. Ita summi imperij dignitas, Occidenti, vbi trecentis & triginta annis fuerat amissa, egregiâ virtute sancti Caroli est restituta. Multas construxit dioceses, & sacras ædes. Præceptorem habuit Alcuinum, cuius operâ Parisiense gymnasium instituit. Præ se ferebat, mansuetudinem in puniendo, æquitatem in iudicando, moderationem in gubernando, liberalitatem erga peregrinos & pauperes, humanitatem in omnes. Tandem verò fide ampliata, statu ecclesiæ religiosè ordinato, regno etiam suo dilatato & pacato, diem obiit, anno octingentesimo decimo quarto, ætatis septuagesimo secundo, imperij decimo quarto.

Sigonius scribit, Othonem tertium, anno millesimo ossa eius è tenebris eruisse. Postea autem sub Frederico Imperatore anno centesimo sexagesimo sexto, vt constat ex impresso diplomate Aquensis ecclesiæ, solenniter est, de licentia Pape Paschalis, & ex consilio vniuersalis cleri in canonem Sanctorum inscriptus. Vnde natalis celebratur die vigesima octaua Ianuarij, eleuatio vigesima septima Iulij.

Aduersus prædicta vrgeri posset, Paschalem illum illegitimè sedisse contra Alexandrum tertium. Sic est. Sed Aquenses bona fide à Paschali, & Cardinalibus eius, hoc est, vt putabant, à Romana ecclesia, postularunt patroni sui canonizationem. Hanc autem postea legitimi Pontifices non irritarunt, sed ratam habuerunt, non tamen vt à sua Sede emanatam. Quo spectat quod Itali quidam Iurisperiti, inter quos sunt Cardinalis Hostiensis & Ioannes Andreæ, Decretalium Interpretes, scribant extolerantia Romanæ ecclesiæ

*Vterque ad
caput pri-*

ecclesiæ magnificum Carolum in sola capella sua Aquisgrani, & non in alijs ecclesijs, venerari. Colitur autem nunc in varijs ecclesijs Belgij, Germaniæ, & Franciæ, propter erectas diceceses, aliaque præbita beneficia. Sed hoc aut interpretum illorum tempore nondum fiebat, aut ab ijs fuit ignoratum.

Cæterum Aquisgranum nobilitarunt etiam Concilia aliquot, potissimum sub Carolo magno, & Ludouico pio, pro reformatione cleri habita: & prædicationes tam Conradi Decani, viri sancti, qui postea factus est episcopus Hildeshemensis, quam Ioannis Scholastici Xanthenis: quibus prædicantibus, cruce se pro liberatione terræ sanctæ signarunt Fredericus rex Romanorum, Sifridus episcopus Maguntinus, Henricus dux Brabantæ, & vtriusque ordinis alij complures.

*Trithemius
in Chronico
Hirsangia,
anno mille-
simo ducenti-
esimo decimo
tertio &
decimo
quinto.*

Dicta est autem Aquisgranensis ecclesia à Maioribus monasterium sanctæ Mariæ, eo quod viginti clerici, à sancto Carolo magno instituti, regulariter & canonicè in ea vixerint, sub obedientia, in communi, intra claustrum, simul manducantes & dormientes, iuxta statuta concilij Moguntiacensis, sub Carolo magno celebrati: Sed hoc suauitè iugum sibi, vt Moguntini, & plerique alij, excusserunt, sub Othone tertio, & Nodgero episcopo suo, Qui regulares clericos viginti, conuerterunt in viginti octo Canonicos proprietarios, quoniam id temporum illorum malitiam exigere iudicabant.

Capite 9.

Habuit etiam prædicta Ecclesia nomen Capellæ. Nam in Annalibus Ludouici legitur Aquisgrani terræ motum ipsam sanctæ genitricis Dei basilicam, quam cappellam vocant, regulis plumbis rectam, ex parte non modica denudasse. Quo etiam pertinet quod Carolus in testamenti sui breuiario diuidi noluerit, quæ ad Capellam, id est, ecclesiasticum ministerium, pertinerent. Quæ autem liquidò constabat capellæ non esse collata, iustæ æstimationis pretio emi, & haberi permisit.

Declarauit autem Carolus affectum suum & reueren-

Ianuarij 28.

N A T A L E S

reuerentiam erga clerum, quando Theodosij legem renouauit, quâ cautum erat vt lites omnes & controuersie forenses ad iudicium ecclesie remitterentur, si alteruter litigatorum id postularet. Cuius testes sunt Innocentius tertius in Decretalibus, & Gratianus in Decreto, & qui primo loco nominandus erat, ipsemet Carolus, in suis Capitularibus.

Inn. c. No-
uit. De iu-
dicijs.
Gr. l. ii. qua.
1. Quicum-
que.

Lib. 5. de
Maria capi-
te 24.

Ad ecclesiam verò & ad sacrosanctam Dei matrem peculiarem affectum declarauit Aquisgrani, multas columnas marmoreas ex varijs Italiae locis aduectas illuc inferens, ac magnum thesaurum sacrarum reliquiarum inde à Palestina conquistum adportans, & quotannis populo spectandum reuerenter exhiberi decernens. Durauit, inquit Canisius, in nostram ætatem vsque frequens piorum ad eam sacram eadem peregrinatio, vt permulti remotis è locis, ac ex media etiam Pannonia, religionis ergò peterent Aquisgranum, illieque suam erga Deiparam obseruantiam pia liberalitate, & liberali pietate, publicè testarentur.

2^o. *Appendix de sancto Speo.*

Ex Chronico Hirsfeldensi.

Q Vieuit etiam Aquisgrani sanctus **S P E V S**. Quem confessorem ab Henrico rege ex Aquisgrano acceptum, & in *Hartenburg* translatum esse, scribit in *Hirsfeldensi Chronico* Lambertus *Scafburgensis*, anno millesimo sexagesimo secundo. Sed addit idem anno septuagesimo quarto, cum præsidiarij in castello *Hartenburg* circumiacentis regionis opulentissimas villas direptione, & alijs sceleribus vehementer offenderent, vul-
gum

gum Saxonix facto grege in *Hartesburg* irruisse, ipsumque funditus deleuisse: reliquias verò sanctorum, abbatem ex vicino cœnobio opportunè superuenientem, vulgo eripuisse, & ad suum monasterium cum honore transuexisse.

Vnde plura peti possent. Nam *Aquisgranenses* nullam eius habent memoriam, nisi quod inter chartas reliquiarum legatur, *Pulueres reliquiarum sancti Spei episcopi & martyris*. Quod cum *Hirsfeldensi Chronico* non videtur concordare, in quo confessor nominatur.

Die vigesima nona Ianuarij.

De beato *Arnulpho*, martyre *Cisoniensi*.

Ex rhythmo de beato *Arnulpho*, & relato *D. Alardi*, *Reuerendi abbatis Cisoniensis*.

Cisonij, beati *Arnulphi* militis & martyris, *Exstat Cisonij, & a laqueo peremptus fuit. de quo extat rhythmus, cuius paucos versus subiungam.*

Omnis plebs *Cisonij*,

Martyris egregij

Gaudet de præsentia.

Nam si quis cum febribus

Huc venit, & præcibus,

Sentit beneficia.

Concurrente populo;

Multa Dei famulo

Donantur beneficia.

Item.

Ibi nunc repositus

Iacet martyr inclytus,

In altaris margine.

Ibi *Gisla* posita

Est, & eius inclyta

Proles, *Alars* nomine.

Horum trium meritis;

Et *Eurardi* militis,

Præsta pater omnium

C 3

Sic

Sic ad præsens vivere;

Hotum. vt in æthere

Consequamur gaudium.

Natalem notatum vidi quarto Calendas Februarij, qui tamen à Cifoniensibus non celebratur. Verùm sancti Arnulphi sui ossa per primos iconomachorum nostri temporis futuros multum dispersa esse dolent.

Die trigesima Ianuarij.

De S. Aldegunde, patrona Malbodiensiu.

Ex historia Malbodiensis ecclesie, Hucbaldo, & Aliunde.

MAlbodio monasterio, sanctæ ALDEGVNDIS virginis, multis visionibus claræ. Quæ in pago Haynoënsi, ex regali Francorum profapia originem traxit, parentibus Gualberto & Bertilia. Cùm autem mater eam vellet illustri sociare coniugio, respondit se illum solum concupiscere, cuius prædia sunt cælum, terra, & mare; cuius fundi & diuitiæ nunquam deficiunt. Vnde à Walde- trude, quæ virginis soror natu maior erat, in Ca- strorum loco instructa, postmodum ad Sambram & Malbodium, monasterium construxit, & tur- bam sanctarum virginum congregauit; Quibus prædia sua possessionesque tribuit publica dona- tione, quæ habebat in pagis, siue territorijs, Hay- noënsi, Laumensi, Sueffionensi, Landunensi, Ostrebanto, † Brachbanto, Riboariensi, & alibi.

† F. r. Brach-
charc.

Cùmque passionem aliquam, vt plenè pur- garetur, vehementer optaret, canceri morbum in dextra mamilla percepit, eumque velut marty- rium suum, aut purgatorium, dilexit. Sororis suæ Waldetrudis filias, Aldetrudam, & Madelbertam sic in pietate instituit, quod in monasterij regimi- ne ipsi successerint, & post mortem natales dies

habere

habere meruerint. Porrò sancta Aldegundis, vitæ suæ stadium consummans, cum magna claritate cælestis luminis, ad vitam migravit æternam. Sepultaque est in villa seu cūrte Sora: vbi vterque parens tumulatus esse dicitur, sed inde translata est Malbodium: quod multis miraculis illustrauit. Fuit autem Malbodium monasteriū, ab ipsa fundatū; sed hodie est oppidum Hannoniæ, & in eo celebre Canoniarum nobilium, siue Dominarum, aut (vt fundatio habet) ancillarum, collegium, quarum dominio ipsum oppidum subijcitur. De hac Vsuardus ait, tertio Calendas Februarij, *Malbodio monasterio, sancta Aldegundis virginis.* Ex quo constat memoriam eius in ecclesia esse peructustam. Secundaria festa habet, sexta Iunij, decima octaua Octobris, & decima-tertia Nouembris. vbi Laurentius Surius historiam ab Hucbaldo descriptam, collocauit.

F E B R V A R I O mense, die prima.

1^o *De sancto Euberto, qui Insulis quiescit.*

Ex informatione Ludouici Pourrain, Canonici & electi Decani Insulensis, & Florentij ab Haer, ibidē Canonici.

S Iclinij, depositio sancti E V B E R T I, Episcopi & confessoris: sed translatus, quiescit Insulis, in collegiata ecclesia sancti Petri. Cuius vita licet sit Deo nota, & hominibus ignota; creditur tamen esse meriti præclari. Eius memoria annuè ab Insulensibus repetitur octauo die post natalem. *Eodem, inquit, die, repositio reliquiarum sancti Euberti, episcopi & confessoris, à venerabili patre Waltero Tornacensi episcopo in presenti ecclesia, & octaua depositionis eiusdem.* De repositione autem hac per